Universitätsbibliothek Paderborn

Vita S. Liborii Episcopi, Calcvlo Laborantivm Patroni

Bolland, Johannes

Antverpiae, 1648

Eivsdem Translationis Historia, Ex veteri Legendario Eccl. Cenoman.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12748

Boeckum, Tremoniam, Vnnam, Geſekenam, Saltkottenam, Paderbornam. *in quâ viâ is quem dixi fluuius occurrit, congruente dimenſione, quæ in hiſtoriâ aſſignatur. Neque nomen fluuij* Serena, â Verne *aut* Werne, *arcis ac pagi nomine multùm abludit.* Verena *fortaſſis, aut* Werena, *ſcriptum olim fuit.*

EIVSDEM TRANSLATIONIS HISTORIA,

Ex veteri Legendario Eccl. Cenoman.

Baderâdus Ep. diuino monitu it Cenomanos, Reliquias petiturus,

1. TEmpore quo Cenomanica Eccleſia B. Aldrico Pontifice gloriabatur, & Gallia ſub Ludouico Pio Rege & Imperatore florebat; Baderato venerabili Patroburnenſi, Saxoniæ regionis, Epiſcopo, vnde *a* B. Aldricus oriundus erat, Diuinâ iniunctum eſt reuelatione, ad vrbem Cenomanicam proficiſci, ſacrarum reliquiarum perdiuitem & inde aliquē ibi quieſcentium deferre Sanctorum, toti Saxoniæ, de nouo ad fidem Chriſti conuerſæ, ſacris meritis profuturum. Qui nihil cunctatus Diuinis obedire præceptis, adhibitis ſibi reuerentioribus ſuæ Eccleſiæ perſonis, eò proficiſci decreuit. Sed vt ſacræ petitioni regia quoque ſub-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſubueniret auctoritas, ad Ludouicum eo tem- *litteris à*
pore glorioſum Regem Francorum paullu- *Lud. Pio*
lùm declinauit: & acceptis ab eo ad vota ſua *Imp. ac-*
epiſtolis, ad Cenomanicam, quò intenderat, *ceptis:*
vrbem feliciter *b* peruenit. *b*

2. Qui à B. Aldrico benignè & honorifi-
cè ſuſceptus, aduentus ſui cauſſas expoſuit, re-
gias epiſtolas recitans; & ne aliquam pati
poſſet repulſam, ad Diuinum ſæpius recurrit *à S. Aldrico*
oraculum & Angelicam reuelationem. Exau- *Ep. obtinet*
diuntur à B. Aldrico ſine morâ eius vota: & *corpus S. Li-*
aſſumptis in proceſſionem Eccleſiaſticis or- *borij.*
namentis, vterque Pontifex Aldricus & Ba-
deratus, vnà cum Clero ad reclinatorium
Sanctorum proficiſcuntur. Erat autem *c* in *c*
ſuburbio prædictæ ciuitatis, ſupra fluuium
Sarthæ, in honore Apoſtolorum fabricata ec-
cleſia, quæ cùm ſe Reliquijs multorum San-
ctorum iactitaret, præcipuè ſuper pretioſis
BB. Liborij atque Victurij corporibus gloria-
batur. Ad quam, velut ad promptuarium
gemmarum Domini Pontifices accedentes,
deflexis in orationem poplitibus, ſacræ ſuæ
præſumptionis facilem & felicem meruerunt
effectum. Quippe quibus hoc etiam merita *quod facilè*
B. Liborij contulerunt, vt nec loci ignorantiâ *effoditur.*
fallerentur, nec aliquâ ſuperueniente mole-
ſtiâ ſacrum opus impediretur.

3. Et ne quiſquam de meritis hæſitaret
Confeſſoris ſancti Liborij, dum beata mem-
bra piâ curioſitate defodiuntur, & in vaſo

ſuauis odor diuinitus ædem replet: cum debitâ reuerentiâ componuntur, tam feſtiuus odor aſtantem populum afflauit, vt adeſſe putaretur omnium commixtura aromatum; & cuius orationes fuerant ſicut incenſum in conſpectu Domini, eius oſſa non immeritò odorem ſpirauerunt incenſi. Iam beati artus quaſi quoddam futuræ gloriæ pignus acceperant, qui illud futuræ gloriæ mirificum nectar aſtanti populo propinabant. *fiunt alia miracula:* Mirata eſt turba inſolitam generalis beneficij refectionem: ſed vnde in maiorem ſuſpenderet ſtuporem, plures ibi ſalutem conſecuti ſunt ſpecialem. *cæcæ viſus reſtituitur,* Quædam enim mulier cæca dum ad defoſſos artus & ſacras Diui Liborij reliquias propiùs acceſſiſſet, torpentium oculorum tenebras euaſit, & ad propria remeauit. *puero (pulſo dæmone) vſus rationis:* Huic ſucceſſit & aliud non minùs ſtupendum miraculum: nam antiquus hoſtis & vafer animorum auceps diabolus inuaſerat quemdam Eccleſiæ filium, quem mente & carne torquebat aſſiduè: qui à matre ad ſanctas attractus reliquias, expulſo dæmone, & turbatæ mentis memoriam & afflictæ carnis recepit tranquillitatem.

4. Compoſitis intereà reuerendis artubus in vaſculo, impoſitum eſt ſacrum onus pijs humeris Sacerdotum, & ad matrem Eccleſiam honorificè deportatum. Vbi duo viri in *dein claudo greſſus, vox muta,* ipſius matris Eccleſiæ ſinu, quorum alter claudus, alter fuerat mutus, incommodi ſui remedium conſequuntur; nam alter vſum

linguæ

linguæ recepit, alter vitioſum inceſſum amiſit. Alius etiam monſtrum magis quàm hominem exprimens, ad propria ſanus reuertitur. Flet populus præ gaudio & lætatur, & diſceſſuro Paſtori reuerenter famulatur, rogans ne Paſtor ouium obliuiſcatur. Intereà cæcus natus illuminatur, energumenus fugato dæmone ſanatur.

alteri membrorum incolumitas.
cæco viſus,
energumeno libertas:

5. Manè autem facto ſancti Pontifices ſanctæ fraternitatis fœdus inuicem percutiunt, & ſub ſacro oſculo ſuarum orationum ſuffragia communicant. Certant filij Dei Diuinis ſe præuenire obſequijs. Experiuntur Saxones non infructuoſam Cenomanorum benignitatem, à quibus & largos ſumptus ad viam, & interceſſorem ſuſcipiunt ad gloriam, nempe B. Liborij corpus cum multis *d* aliorum Sanctorum reliquijs illis tribuitur. Gratulantur Saxones pretioſas ſecum delaturi margaritas, quæ & illos illuſtrarent in terris, & inter Angelos coruſcarent in cælis.

Paderbornenſes initâ cum Cenomanis fraternitate,
d ſumptibus itineris donati & alijs reliquijs,

6. Eos autem cum illo locuplete theſauro Saluatoris eccleſiâ egreſſos, S. Vincentij monaſterium pio recepit affectu, vbi quidam eorum populum circumſtantem ſic affatus eſt: Gratias vobis, filij Dei & cohæredes Ieſu Chriſti. Certum quippe ſacræ dilectionis argumentum poſteris reliquiſtis, cùm nobis ex ſtudio humanitatis neceſſaria corporum hilariter effudiſtis, & ex reuerentiâ Diuinæ receptionis Patronum tribuiſtis animarum.

gratias agunt:

Vnde gratias Deo agentes, veſtris nos orationibus cõmendamus, numquàm tantis ingrati beneficijs, numquàm veſtræ benignitatis immemores, numquàm ſtudioſiſſimæ pietatis ſatis abundè futuri prædicatores.

7. Ijs peroratis, & dicto vale, Saxones diſcedunt, & ſacro ſuffarcinati theſauro, ad e pontem Yuriacum, duobus ab vrbe diſtantem milliaribus, felici proficiſcuntur euentu; vbi ſanatus eſt mutus & ſurdus. Inde profecti ad ecclesiam f S. Medardi perueniunt. Vbi eius fama miraculorum circumquaque diuulgata eſt: & accurrentes vndique vicini infirmos ſuos offerebant, incolumitatem eorum deprecantes; quibus ſancti Confeſſoris interceſſione & ſanitas conceditur, & deuotio fidelium augetur. Sequenti die ad vicum Canonicorum, nomine g Conediarum, accedunt: ibique, depoſito in baſilicâ S. Symphoriani ſancto corpore, pernoctant: vbi ſpectabilis fæmina, miris modis à dæmone vexata, ad Sancti reliquias accedens, fugato dæmone liberata eſt. Et vt mirandis miranda ſuccederent, alij quoque ſeptuaginta infirmi redditi ſunt ſanitati, & vnus præter ceteros vſque ad portentum gibboſus & paralyticus.

8. Hinc Carnotum proficiſcuntur, cui tunc præerat Bernuinus venerandæ ſanctitatis Antiſtes; qui audiens aduentum ſancti Confeſſoris Liborij, ſumptis ſecum ſuæ diœceſis Sacerdotibus, qui illic ſacrum concilium cele-

e ad Pontem Yuriacum mutus & ſurdus ſanatur.

f alij in viâ;

g ad Conediarum energumena;

& alii 70.

excipiuntur magnificè ab Ep. Carnotenſi,

celebraturi conuenerant, feſtiuo apparatu obuius ei procedit, pio veneratur affectu, ac ſpeciali deuotione ſuſcipit. Reſultat vbique vicinia cymbalorum ſonitu, reboat pſallentium voce clericorum, qui ſacrum corpus, humeris impoſitum Pontificis, vſque ad eccleſiam S Carauni, propè ciuitatis muros conſtructam, deuotiori reuerentiâ comitantur & retroducunt. Vbi puella monſtro perſimilis, ſanata eſt. *(vbi ægra ſanatur)*

9. Inde Saxones profecti breui Pariſios allabuntur, qui à *h* B. Ercanrado Pariſienſi Epiſcopo gloriâ quâ decuit ſuſcepti ſunt: vbi in matre Eccleſiâ corpus beati Confeſſoris Liborij biduo requieuit; per cuius interceſſionem dæmoniaca, muta & ſurda ſanitati eſt reſtituta. Egreſſi inde dum iuxta Montem Martyrum proficiſcẽtes, ad eccleſiam B. Dionyſio ſacram accederent, obuiàm quemdam ſurdum à naturâ & mutum habuerunt; qui more aliorum ante ſacras reliquias ſua veſtimenta ſubſternens, acceſſit ad feretrum, & oſculatus eſt, & ſic S. Liborij interuentu, quod totis votis poſtulabat, eſt aſſecutus.

h & ab Ep. Pariſien.

ſurdus & mutus curatur:

10. Comitatur maxima Gallorum multitudo venerabiles reliquias, & vſque ad Rhenum fluuium deuotiùs proſequitur, tantò patientiùs anguſtias itineris toleratura, quantò ſæpius collata miraculorum beneficia illis blandiebantur. Impoſito tandem naui corpore diſcedunt Galli, nil vlteriùs de meritis illius

comitantur Galli vſque ad Rhenum:

dubitaturi, qui tot cæcorum illuminationibus, tot curationibus debilium, tot repulſis dæmonum, fuerant experti.

occurrunt Saxones:

11. Stabat ex alterâ parte Rheni deuota Saxonum multitudo, quæ iam diſcurrentium miraculorum famâ perculſa venientem Patronum feſtiuo curſu ſuſcipere decertabant. Suſcipitur locuples ille theſaurus, ſuſcipitur, inquam, deſideratus Patronus, & ad vrbem tanto interceſſore gauiſuram gloriâ quâ debuit defertur.

mutus aduentare reliquias prædicit:

12. Cuius aduentum quidam mutus prædixit: dum enim adhuc procul eſſet, & in matre eccleſiâ Patrobrunenſi Miſſarum ſolennia celebrarentur, aperto ore & attentis auribus, ille boni nuntij præco, dixit, haud procul eſſe expectati interceſſoris corpus. Cui credidit Clerus, & nouum ſuſcepturus Patronum cum ſacro apparatu obuiàm Clero procedit. Interim verò beati funeris portitores iuxta fluuium Serenam, tribus ab vrbe diſtantem millibus, parumper ſubſtiterūt; vbi multa claruerunt miracula: ibique prædictæ ciuitatis populus & Clerus, ad fidem recenter conuerſi, ad beatos artus accedentes, ter in humum proſtrati, gratias Deo egerunt, & diu promiſſum, diu expectatum, diu cum lacrymis quæſitum Patronum ſuum B. Liborium ſuſceperunt. Quem pio honore deferentes in matrem eccleſiam Patrobrunenſis regionis, in eius honore poſteà conſecratam, hono-

quæ deducuntur Paderbornam, non ſine miraculis.

honorificè in ſacro die Pentecoſtes collocauerunt, ſacris meritis toti Saxoniæ profuturum. Hunc etiam precemur, vt in æternum cum Chriſto viuamus, cui cum Patre & ſancto Spiritu ſit laus & gloria in ſempiterna ſecula, Amen.

a *In Vitâ* S. Aldrici, *quam dedimus 7. Ianuarij, dicitur pater eius* Syonius in Galliâ ortus, Gerilda mater ex Germanis genus duxiſſe. *Coruaſſerius ſcribit patrem* Sionium Saxonem *fuiſſe, matrem* Verildam è Bauariâ *oriundam, vtrumque è regio genere.*

b *Prior hiſtoria ex* Idonis *Presbyteri, vnius è Legatis* Baduradi, *relatione, à coætaneo conſcripta, non ipſum* Baduradum, *ſed ſolùm eius* Legatos *iuiſſe in* Galliam *tradit.*

c *Non ergo, quod ſcribit Coruaſſerius, iam an.* 834. *tranſlata erant* SS Iuliani, Thuribij, Pauacij, Liborij, Romani, Treneſtinę, Adrechildis, Hadoindi *corpora. Sed fortaſſis eodem anno* 836. *poſtquàm in Saxoniam auectum erat* S. Liborij *corpus*; S. Aldricus, *miraculis iam patratis motus, reliquorum quoque ad baſilicam Cathedralem transferri corpora curauit. Coruaſſerius ait Tranſlationem contigiſſe die* 25 *Iulij, quo die anniuerſaria circum vrbem inſtituitur ſupplicatio. Meminerunt* Tranſlationis S. Iuliani *Ep. eo die quædam Martyrologia.* *S. Iuliani Ep. Cenom. Tranſlatio 25. Iulij.*

d *Diximus ſuprà ex Rolevinckio & Gobelino, Sanctorum aliorum reliquias vnà cum* S. Liborij *corpore allatas.*

e *Coruaſſerius locum hunc* Yurè *appellat.*

f *Coruaſſ locum ait ſitum vltra* Huinam *amnem, vulgoq; dici* S. Mars de la Briere.

g *Idem,* Conneray.

h *De eo egimus ſuprà. Coruaſſ.* Eucaradum *vocat. Nuſquam alibi legimus eum Beatis accenſeri, etſi laudatiſſimus Antiſtes fuerit.*